

Wd
972



L
D
M
T



L. 32.53
R. M. J.
ORATIONEM.

QUA.

NATALITIA.

SERENISSIMI PRINCIPIS. AC. DOMINI.

FRIIDERICI. II.

DUCIS. SAXONIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ. ET.
MONTIUM. ANGRIÆ. ET. WESTPHALIÆ. LANDGRAVII
THURINGIÆ. MARCHIONIS. MISNIÆ. COMITIS. PRIN-
CIPATUS. HENNEBERGICI. COMITIS. MARCÆ. ET.
RAVENSBERGÆ. DOMINI RAVENSTEINII.
ET. TONNÆ. ETC. ETC.

CONSENTIENTE. ET. APPROBANTE.

ACADEMIA. LIPSIENSIS.
IN. AUDITORIO. PHILOSOPHICO.

UT.

PRINCIPI. AC. DOMINO. SUO.
INDULGENTISSIMO.

OFFICIUM. SACRUM. ET. SOLENNE. PRÆSTET.

AD. DIEM. IIX. AUGUSTI.

1715

HUMILLIME. PROSEQUETUR.

M. JOH. GEORGIUS. WALCHIUS.

INTIMAT.

FACULTATIS. PHILOSOPHICÆ.

PRO. DECANUS.

L. CHRISTIANUS. LUDOVICI. P.P.



1898.





Ptime consulit mortalibus omnium rerum unus ac summus arbiter DEUS, quando eos constituit Principes, qui inter alias gravissimas curas in hanc etiam incumbunt, ut Academiæ, Gymnasia & reliquæ Scholæ vigeant florentque. Neque est, ut infra celsitudinem suam has esse curas autument, qui ad istam dignitatem in his terris divinitus elati sunt, quo sublimius & præstantius nihil est. Cum enim Scholæ officinæ sint Spiritus sancti, sedes honoris, bonæ mentis palestræ, & feracia artium ac disciplinarum seminaria, ubi non corporeo formatur sed animus, ubi vacua mentis humanæ tabula castis purioris, inter Christianos etiam a seculis absconditæ sapientiae monitis imbuitur; cum per scholas stent, florent, vigeant regna, populi, gentes; tantum abest, ut ita animum induxerint sapientes Principes, ut potius & ipsi publicas scholas frequentarint, illustri exemplo Julii Cæsaris, qui post Pompeji necem, cum in Ægyptum apulisset, urbem Alexandriam ingressus cum reliqua studiosorum confertissima corona philosophos in publicis auditoriis & gymnasii audivit; & filios suos in ipso surgentis adolescentiæ flore, in ipsa prima pudoris purpura celeberrimis quibusque sapientiae Magistris in publicis scholis formandos tradiderint. Ut adeo mirari subeat Weigelium, & qui adhuc ejus furoris sunt, fanaticos homines impie crocicare, quotquot Romanum imperium, imo totus mundus habet scholas, diaboli esse, in quibus veritas opprimatur, & Christus extinguitur. Ich sage, inquit Weigelius in Postilla, wahrhaftige Worte, so wahr als ich ein Mensch bin, daß Christus in keiner hohen Schule in der ganzen Welt nicht gefunden werde, und sich nicht finden lasse ic. Non vero uno modo de Academiis aliisq; illustribus scholis curas suscepunt, quos Deus ad rerum publicarum gubernacula velut in specula constituit, Celsissimi Principes, Imperatores, Reges, Duces. Sunt, qui siue Gymnasia, sive Academias considerunt, conditasque potenti præsidio tutati sunt. Perennabit memoria Friderici Bellicosi, Friderici Sapientis, Joh. Frider. II. Joh. Guil. & Joh. Frid. III. quorum ille Lipsiensem, iste Wittebergensem, hi Salanam Academiam in provinciarum suarum usum & decus erexerunt. Alii scholas magnifice dotarunt, discentes etiam non minus quam docentes insignibus privilegiis ormarunt. Nulla delebit oblio nomen Magni Pompeji, quod ex Asia redux, cum omnes bonarum artium Professores audiisset, singulis auri talentum obtulit, Posidonium insuper philosophum graviter morbo decumbentem invisit, fascesque Imperii literis submisit, cui se oriens occidensque submiserat. Immortale nomen Fridericus I. Imperator, & ejus Nepos virtutis avitæ hæres Frider. II. per nobilissimam illam Avthenticam *habita dictam* literatis exemptionem a foro seculari, Academiis vero Jurisdictionem vendicantem, sibi perpetuerunt, quam a Papa Alexandro V. Lipsiensem quoque Academiæ indultam bello paceque incomparabilis Heros Mauritius pro eo, quo fuit in literas favore, hoc est summo, clementissime confirmavit. Nec ulla ætas oblivione delebit ejusdem Mauriti, nec non Augusti munificentiam, quorum illi ab Academia Lipsiensi Collegium Paulinum, pagi, sylvæ, bibliotheca, proventus &c. ab universa Misnia vero scholæ provinciales, Misnenensis, Portensis & Grimmana; huic vero in pauperiorum studiosorum levamen constituta stipendia debentur. Rursus aliorum in hoc occupatae fuerunt curæ, ut viros eruditione varia excellentes, incorruptos, graves, quibus

quibus & ætas conciliat reverentiam, & doctrina autoritatem, & morum
comitas benevolentiam ac amorem, ad docendi provinciam in Scholas
evocarent; ad quorum famam studiosos sedibus suis undique excitos
stupendo saepe numero confluxisse historia testis est. Si Theodoro Gotho-
fredo scriptori Gallico fides habenda est, Parisiensis Academiae Rector ad
exequias Regis Caroli II. 25000. Studiosos se dueturum esse promisit.
Et, ut Odofridus autor est, magni illius JCTi Azonis tempore in Bononiensi
Academia 1000. Studiosi egerunt: quod ornamentum, quam famam
apud exterios Lipsiensi Academias conciliaverint Crocus, Petrus Mosella-
nus, Joachimus Camerarius & plures omni tempore alii Professores, pro-
vida Serenissimorum Nutritiorum cura eo vocati, in vulgus notum est.

Inter omnes vero curas, quibus Serenissimi Nutritii Academias, Gy-
mnasiis & Scholis illustrioribus aliis cum augendis tum ornandis invigilant,
ea mihi semper præstantissima fuit visa, qua id effectum dare in animum
induxerunt, ut non tam multos, quam probos atque bene moratos studio-
bos; Professores vero non minus orthodoxos & viros bonos, quam doctos
alerent. Scholæ sunt officinæ Spiritus veritatis & sanctitatis. Ergo vera fi-
des, vera doctrina & proba vita hic utramque paginam faciant. Et ea qui-
dem fides, ea scientia atq; vita, quantum ad Christianas & Evangelicas scho-
las attinet, quam ad scripturam sacram unicam & solam fidei vitæ; nostræ
normam, ut & ad formam sanctorum verborum in libris Ecclesiæ nostræ
symbolicis expressam, ad rationem a Sp. S. illuminatam, ad philosophiæ
coelesti illi sapientia ancillantis placita; non vero ad hujus vel illius cere-
brum, somnia, enthusiasmos & immediatas illuminationes fingentis, non
ad deliria rationis sibi relicta, fœtum suum naturalissimum & libertinissimum
mirum quantum lambentis, nec ad genium Epicuræorum & spiritus mun-
di formare convenit. Formare, inquam, convenit, non enim proh dolor!
ubique formatur. Laxa licentia credendi in theologicis, quicquid velis; sen-
tiendi in philosophicis, quicquid videtur & prodeft, heu quantum zizanio-
rum, quos fanaticorum dogmatum errores, qua rationis ~~negligenter~~ saepe
agro bono mentibus juventutis Scholasticae & Academicæ inspergit! Nec
minor in Scholis & Academias vivendi, quam sentiendi & credendi libertas
regnat. Multæ sunt apud multos hac de re querelæ. Ne igitur dulce illud
venenum, illa blanda pestis errorum docentium; ne contagio hæc & lues
morum discentium vires sumant, & fractis semel veri honestiq; repagulo cy-
clopico Numinis contemptu grassentur, tum imprimis mature interveni-
re & præcavere, cum nulla Professorum & Concionatorum seria & pathet-
ica monita, acresve errorum elenchi & in mores invectiva; cum nec fasces
Rectorales contra contumaces & Marpesia caute duriores quicquam pro-
ficiunt, hæc cura est Principis pulcherima, hæc Principe digna & propria,
his mortalibus a Deobene consulitur, quibus hic Princeps divinitus datur.
O beatam ergo Saxoniam & Misniam! beatam Thuringiam! que inde a re-
formatione Megalandri nostri Lutheri, & excusso tyrannidis jugo, eos Prin-
cipes habuerunt, qui sicut causam Ecclesiæ Christi vitæ suæ & sanguinis pro-
digii multis reportatis triumphis strenue egerunt; ita de scholis atq; Academias
semper fuerunt solliciti, ut errorum nubes discuterentur, improbi mores
extirparentur, contra una salvifica religio Evangelica radices ageret, vera fi-
des, pietas infucata, optimæ leges, & quicquid est honestarum artium & utili-
um linguarum simul effloresceret. Et ne longius petantur exempla, quæ si
temporis & instituti ratio ferret, magno numero testantibus Principum
Rescriptis de emendatione scholarum & academiarum in Archivis hinc in-

FKWd 972

de astervatis produci possent, unum *Fridericum II. Duxem Saxoniae & Julie, Clivie & Montium, Angriae & Westph., Landgrav. Thuring., Marchionem Misn., Principem Comitem Henneberg., Comitem Marcæ & Ravensb.* Dominum *Ravensteinii & Tonne*, & reliqua, luculentissimum Exemplum in medium afferre liceat. Qui quo studio educatus fuerit ea ætate, cum se instar mollis ceræ formari talem pateretur, qualem æterna lex Dei depingit, Serenissimus Pater voluit, cives voverunt, literati optarunt esse in posterum, nempe Principem pium & justum, filium bonum, imperii hæredem, literatorum asylum, Patriæ robur & fundamentum stabilitatis; quo ardore, cum jam gloriae stimulus generosum peccatum, sublimem & illustrem animam tentaret, ipse linguarum, Sophiae, Theologie & Themidos adyta penitiora perlustraverit, ut quicquid in iis laboris collocaretur, id totum in regionis salutem, civium splendorem, legum autoritatem, virtutis præmium, bonarum literarum præsidium & ornamentum converteret, Sibi vero Serenissimæq; prosapiaæ æternæ famæ ac honoris templum erigeret; qua prudenter utatur, ubi Patre Frider. I. cuius, ut & avitæ virtutis, imaginem & characterem exactissime refert, e vivis evocato, in sublimi illa fede, favente & approbante eo, cuius nutu omnia fiunt, omnium subditorum votis collocatus, campumque naclus est, in quo ingenita bonitas decurreret, animusque virtutum Principe dignarum, quibus ad fasces purpuramq; præparatus fuit, in dies illustriora specimina ederet; quam justitiam virtutum reginam colat, bonis præmia, malis poenas tribuat, oppressis tutelam præstet, cum justitia vero religionem in invariata Augustana confessione & symbolis Ecclesiæ Lutheranæ reliquis ad script. sacræ normam præscriptam sacro quadam vinculo conjungat, dicere jam non vacat; hoc paucis diec, in pulcherrimam illam curam Eum totum incumbere, ut regionum suarum scholas illustres, veteri integritate & splendore restituto, præstet florissantias, atque ne labes ulla sine morum sine doctrinæ has conspurcat, omni conatu præcaveat, optime pro divina sua sapientia perspiciens, venenum si vel ignoretur, vel negligatur, longius serpere totumque corpus inficere. Pluribus pro dignitate sua hæc aliaque tanti Principis pulcherrima facinora in ipso ejus Die Natali, qui est octavus Augusti, M. Jo. Georgius Walchius ad scholasticas atque academicas literas natus, quique elegantioris literaturæ ac historiæ literariæ multis documentis orbiliterato hactenus innotescere coepit, in publica Panegyri elegantissima oratione exponet. Quemadmodum vero Orator, ut solennitas hæc perageretur ab Universitate obtinuit, ita hæc ipsa decrevit in corpore circa horam IX. in Auditorio philosophico, quo e templo Nicolaitano solennissima processione sè conferret, actui interesse, ad quem etiam Celsissimos Principes Dolgorukios, utriusque reipublicæ Patres Conscriptos, nec non Generosissimos & Nobilissimos studiosos ea, qua decet, observantia & humanitate invitamus, nulli dubitantes, quin insuper in hæc pia vota precesq; nobiscum consensuri sitis: Vivat FRIDERICUS servet Eum diu is cuius decreto stant & cadunt, vivunt & obeunt omnia! servet in quos jam omnium subditorum animi defixi sunt, Principes Juventutis, spem Patriæ, oculorum delicias!

Principes Juventutis, spem Patriæ, oculorum delicias!
servet universam Serenissimæ domus
Prosapiam!

LIPSIAE, Literis Müllerianis.

ULB Halle

006 398 707

3



V018



Wd
978

ORATIONEM.

QUA.

NATALITIA.

SERENISSIMI PRINCIPIS AC. DOMINI.

FRIDERICI. II.

DUCIS. SAXONIAE. JULIAE. CLIVIAE. ET.
MONTIUM. ANGRIAET. WESTPHALIAE LANDGRAVII
THURINGIAE. MARCHIONIS. MIS
CIPATUS. HENNEBERGICI. CO
RAVENSBERGAE. DOMINI. I
ET. TONNAE. ETC.

CONSENTIENTE. ET. AP
ACADEMIA. LI
IN. AUDITORIO. PHILO

ut.

PRINCIPI. AC. DO
INDULGENTIS
OFFICIUM. SACRUM. ET. SOLE
AD. DIEM. IIX. AUGU
HUMILLIME PROSEQ

M. JOH. GEORGIUS.

INTIMAT.

FACULTATIS. PHILO

PRO. DEC
L. CHRISTIANUS. L



	Farbkarte #13										
	Centimetres inches										
	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black		
1											
2											
3											
4											
5											
6											
7											
8											
9											
10											
11											
12											
13											
14											
15											
16											
17											
18											
19											
20											
21											
22											
23											
24											
25											
26											
27											
28											
29											
30											
31											
32											
33											
34											
35											
36											
37											
38											
39											
40											
41											
42											
43											
44											
45											
46											
47											
48											
49											
50											
51											
52											
53											
54											
55											
56											
57											
58											
59											
60											
61											
62											
63											
64											
65											
66											
67											
68											
69											
70											
71											
72											
73											
74											
75											
76											
77											
78											
79											
80											
81											
82											
83											
84											
85											
86											
87											
88											
89											
90											
91											
92											
93											
94											
95											
96											
97											
98											
99											
100											